



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

19. Quanto tempore oportet monachum exercitari in via purgatiua, & in quo poterit cognoscere se esse purgatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

& breuiter omnia colligendo, habebis quicquid volueris, & quod nolueris non habebis. Vnde frater tua conscientia huiusmodi amoris stimulis agitata, dole vehementer te tuis sceleribus ab hoc tam mirifico tabernaculo elongasse: & tuos defectus recognoscens conuertere ad Dominum ex toto corde tuo dicens, O Domine trahere me post te; & curram in odorem vnguentorum tuorum: Et eodem modo orans conuertere ad Redemptorem nostrum & ad eius genitricem Dominam nostram; & post implorationem suae misericordiae & gratiarum actionem, fac finem exercitij tui eodem modo quo diximus feria 2.

QUANTO EST TEMPORE MANENDUM in praefata via purgatiua, & quomodo valet cognoscere quis se esse purgatum.

## CAPVT XIX.

**D**iximus in superioribus de via purgatiua, per quam nouus Christi discipulus disponitur ad adeptionem optati finis, qui est gradatim ascendere ad vniendum animam cum Deo, quod est vera sapientia: & quod oportet eum studiose in ea assuefieri. Vbi autem in hoc assuefactus fuerit exercitio scilicet per spatium vnius mensis vt dicit Henricus de Palma in sua mystica Theologia, progrediatur vterius amoris caelestium intendens. quod fit per exercitium secundae viae, quae dicitur illuminatiua: eo quod cor illuminat per morosam diuinorum beneficiorum

ciorum considerationem. Et quamuis sit magnus peccator, non vereatur à Domino petere sui amoris incendium: quia in hoc nulla est presumptionis culpa. Cum enim præfatum temporis spatiū Saluatoris pedes fuerit osculatus suorum amara recordatione peccatorum, digne potest accedere ad manuum oscula per diuinorum beneficiorum considerationem: quod tamen intelligendum est, si ita studiosam custodiam adhibuerit vitæ suæ, quod nō habeat aliquid iugiter purgandum. Et ad cognoscendum an sit purgatus, debet diligenter considerare, vtrum hæc tria fuerit adeptus; scilicet,

Strenuitatem	} contra	{ Negligentiam.
Seueritatem		{ Concupiscentiam.
Benignitatem		{ Nequitiam.

His enim tribus habitis, conscientia fit bona munda & recta. Et vt ista facilius valeant intelligi, ponendæ sunt hic earum diffinitiones, quæ ponit Bonauentura in tractatu quodam, qui dicitur, Paruum bonum.

Strenuitas est quidam vigor animi excubiens omnem negligentiam, & disponens animam ad faciendum opera,

{ Vigilanter.  
{ Confidenter.  
{ Eleganter.

Seueritas est quidam vigor animi restringens omnem cōcupiscentiam, & habitans animam ac feruentem reddens eam ad amorem; scilicet

{ Asperitatis.  
{ Paupertatis.  
{ Vilitatis.

Benignitas est quidam dulcor animæ exclu-  
dens omnem nequitiam scilicet omnem ira-  
cundiam, inuidiam, & accidiam, & habilitans a-  
nimam ad

- { Beneuolentiam.
- { Tolerantiam.
- { Internam lætitiã.

Et hic est finis & terminus viæ purgatiuæ secun-  
dum viam meditationis: nam omnis conscien-  
tia munda, læta est & iucunda. His tribus ade-  
ptis promptus est animus vt fursum tendat, &  
per ista cognoscere poterimus terminum no-  
stræ purgationis.

## SECUNDA PARS.

*QVOD ACCEDENS AD EXERCITI-  
am viæ illuminatiuæ, est prius purgandus & mun-  
dandus à suis peccatis per viam purgatiuam,  
vt splendores diuinæ lucis  
possit capere.*

### CAPVT XX.

**H**ACTENVS diximus de viâ purgatiua  
per quam purgatur conscientia, quæ fa-  
cilius in corde recolligi quam scripto vel  
verbo doceri potest, per quam immediate Dei  
seruus ad illuminatiuam ascensurus est: quæ ad  
illuminandum ordinatur secundum illud Pro-  
phetæ de viro iusto loquentis, Beatus vir cuius  
est auxilium abs te: ascensiones in corde suo di-  
sposuit in valle lachrymarum, in loco quem po-  
suit. Vbi est notandum quod per lachrymas &  
gemitus